

T. LVCRETI CARI

namque canes ut montivagae persaepe ferarum
naribus inveniunt intectas fronde quietes, 405
cum semel institerunt vestigia certa viai,
sic alid ex alio per te tute ipse videre
talibus in rebus poteris caecasque latebras
insinuare omnis et verum protrahere inde.
quod si pigraris paulumve recesseris ab re, 410
hoc tibi de plano possum promittere, Memmi :
usque adeo largos haustus e fontibu' magnis
lingua meo suavis diti de pectore fundet,
ut verear ne tarda prius per membra senectus
serpat et in nobis vitai claustra resolvat, 415
quam tibi de quavis una re versibus omnis
argumentorum sit copia missa per auris.

Sed nunc ut repetam cœptum pertexere dictis,
omnis, ut est igitur per se, natura duabus
constitit in rebus ; nam corpora sunt et inane, 420
haec in quo sita sunt et qua diversa moventur.
corpus enim per se communis dedicat esse
sensus ; cui nisi prima fides fundata valebit,
haud erit occultis de rebus quo referentes
confirmare animi quicquam ratione queamus. 425
tum porro locus ac spatum, quod inane vocamus,
si nullum foret, haud usquam sita corpora possent
esse neque omnino quoquam diversa meare ;
id quod iam supera tibi paulo ostendimus ante.
praeterea nil est quod possis dicere ab omni 430
corpore seiunctum secretumque esse ab inani,
quod quasi tertia sit numero natura reperta.
nam quodecumque erit, esse aliquid debebit id ipsum ;
cui si tactus erit quamvis levis exiguisque, [435]